

Inst. 1. Licet actio baptismi desierit, manet tamen perpetuum pactum in baptismo inter Deum et nos ininitum, quod consistit in hac Christi promissione, Marci ult. v. 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ergo ratione hujus potest esse utilis baptismus, si in memoriam revocetur, et excitetur fides divinarum promissionum de venia peccatorum per Christum danda. Nam hoc eodem medio Judæi reconciliabantur Deo, si recordabantur fœderis in circumcisione cum Deo initi, et egressionis ex Ægypto.

R. N. *Cons.* Pactum in baptismo ininitum est tantum conditionatum, non autem promissio absoluta, ut Patres omnes hucusque intellexerunt, ac præsertim GREGORIUS M. homil. 29. in Evang. (opp. t. 1. p. 1570. C.) loquitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet.* Neque B. Petrus Simonem magum ad recordationem baptismi remisit Act. 8. v. 22. sed ait: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: et roga Deum, etc.*

Israelitæ solebant in memoriam revocare pactum cum Deo ininitum, et egressionem ex Ægypto; non quod ea commemoratione purgarentur a peccato, sed ut recordatione beneficiorum Dei, suæque inconstantia et ingratitude ad pœnitentiam excitarentur, atque ita divinam elementiam exorarent. Deinde satis jam refutatus est error hæreticorum, qui putant sola fide divinarum promissionum remitti peccata, et consequenter sacramenta ad hoc non conferre, nisi excitando fidem. Denique baptismus præteritus non potest excitare fidem, sed inquiri oportet objectum aliud, quo et fides in nobis, et suscepti olim baptismi memoria excitetur.

Inst. 2. Apostolus Ephes. 5. v. 26. solum dicit, mundari Ecclesiam lavacro aquæ. Et S. FULGENTIUS L. de fide ad Petrum c. 30. seu regula 30. vocat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ergo non opus est alio pœnitentiæ sacramento.

R. N. *Cons.* Loquitur Apostolus tantum de modo, quo regenerantur et mundantur Ecclesiæ membra, quando ad illam aggregantur. Multum autem discriminis est inter generationem spiritualem, qua vitam supernaturalem amissam recuperamus: illud fit per baptisma, hoc per pœnitentiam. S. FULGENTIUS recte appellat baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ; ad illum enim catechumeni etiam per pœnitentiam disponuntur, secundum B. Petri adhortationem Act. 2. v. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Et c. 11. v. 18. *Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Inst. 3. S. Scriptura effectum baptismi per tempus præsens, præteritum et futurum describit: Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* 1. Pet. 3. v. 21. *Salvos facit baptisma.* Marc. ult. v. 16. *Qui baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo habet vim purgandi peccata præterita, præsentia, et futura.

R. N. *Cons.* Baptismus peccata habitualia tam originale, quam personalia, quæ invenit, expurgat: ad futura autem peccata vim suam minime exerit. Sacra Scriptura vero tres temporis differentias ideo exprimit, cum de baptismo agit, quia in iis qui olim baptizabantur peccata delevit, et delet

etiamnum in iis qui baptizantur, ac delebit deinceps in iis qui adhuc baptizabuntur.

Inst. 4. B. AUGUSTINUS L. 1. de Nuptiis et concup. c. 33. n. 38. scribit, per baptismum non solum præterita et præsentia peccata remitti, sed etiam illa, quæ posteriori tempore committuntur.

R. S. Doctor vult remitti peccata sequentia solum dispositive per effectus baptismi, qui sunt gratia et character: per gratiam evadit homo justus, qui facile se venialibus peccatis expedit: per characterem fit idoneus ad sacramenta cætera, ac per fidem in baptismo acceptam excitatur ad pœnitentiam, qua peccatorum omnium remissionem consequitur. Fanatico autem hæreticorum sensui S. Augustinum adversari, liquet ex iis quæ supra retulimus, quibus L. 5. de Bapt. c. 22. n. 30. addit, Christianum in peccata lapsam non sanari per baptismum, sed per veram conversionem.

ARTICULUS IV.

QUIBUS PARTIBUS HOC SACRAMENTUM CONSTET?

107. *Nota.* Duplex hic quæstio movetur: I. Utrum pœnitentia more aliorum sacramentorum constet ex partibus essentialibus, quarum altera se habeat per modum materiæ, altera tanquam forma? Nam Scotus in 4. d. 14. q. 4. totam sacramenti hujus essentialiam in verbis absolutionis reponit, ac d. 16. q. 1. diserte negat, contritionem et confessionem sacramenti hujus partes esse; licet actum utrumque dicat prærequiri, eo quod sententia ferri nequeat non cognita causa. Scoti sententiam amplectuntur nonnulli, ut Joan. Major, et Gabriel, quæst. 2. definiens pœnitentiæ sacramentum esse *absolutionem hominis pœnitentis, etc.*

Hiscæ e diametro adversatur Dom. Sotus in 4. d. 14. q. 1. a. 1. aperte negans, absolutionem esse partem hujus sacramenti: unde videtur totam ejus rationem in contritione et confessione statuere, et absolutionem ut necessariam perfectionem seu complementum pœnitentiæ æstimare, inductus B. Thomæ auctoritate, qui q. 84. a. 1. ad 2. ait, sacerdotem absolvendo dare complementum huic sacramento.

II. Quæritur item, ex quibus partibus pœnitentiæ sacramenti materia confletur? Ubi Durandus in 4. d. 16. q. 1. confessionem solam putat sacramenti hujus esse materiam, quia contritio, etsi ante omnino requiratur, sensibilis non est: neque satisfactio ad essentialiam aut effectum sacramenti absolute desideratur. Probant hanc opinionem Gabriel dist. 14. a. 2. et quoad satisfactionem Marsilius q. 10. a. 1. Communiter tamen a Theologis aliis contritio, confessio et satisfactio numerantur tanquam partes materiales, et proximæ, ex quibus materia sacramenti pœnitentiæ tanquam ex partibus integrantibus constet.

Dixi, has esse partes proximæ, et ex quibus: nam peccata, quorum se pœnitens accusat, sæpe dicuntur materia pœnitentiæ, non quidem talis ex qua hoc sacramentum, ut ex ligno statua, conficiatur, sed quia sunt objectum et materia circa quam sacramentum hoc versatur: sicut crimen aut quælibet causa alia dicitur materia judicii. Est ergo tantum remota sacra-

menti materia, respectu cæterarum partium : nam contritio est de peccato ; confessio est accusatio peccati ; satisfactio ejusdem est vindicta ; et absolutio, has partes informans, a peccatis et eorum reatu perpetuo benignè eximit.

Quamquam autem S. Thom. Opusc. 22. c. 4. referat, a quibusdam peccatorem, qui absolvitur, remotam hujus sacramenti materiam nuncupari : id tamen admodum improprie dicitur, eo quod homo subjectum potius, quam materia sit sacramentorum.

108. *Dico I.* Pœnitentiæ sacramentum constat ex materia et forma tanquam ex partibus essentialibus. Ita passim Theologi cum S. Thoma q. 84. a. 2. et 3.

Prob. Concilium FLORENTINUM in Decreto ad Armenos §. *Hæc omnia*, docet, sacramenta omnia novæ Legis tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri ; et §. *Quantum sacramentum*, Pœnitentiæ sacramenti quasi materiam esse actus pœnitentis tres, formam vero : *Ego te absolvo*, etc.

Eadem omnino repetit Concilium TRIDENTINUM Sess. 14. cap. 3. et addit, tam absolutionem, quam actus pœnitentis ad integritatem sacramenti pertinere ; ergo non simplex actio sacerdotis totum sacramentum constituit.

Deinde Lucius Papa III. cap. *Ad abolendam*. De Hæret. sacramenta vocat Baptismum, Confessionem peccatorum, et Matrimonium ; igitur confessionem sacramentum esse credidit, confessio autem actus est pœnitentis.

Denique actus pœnitentis est signum sacrum gratiæ justificantis, divinitus institutum, et ex Dei promissione ad peccati remissionem concurrens. Qui enim cum dolore peccata sua confitetur, eisque petit absolvi, indicat, se illa odisse, et ab eis animo recedere, ac proinde justificari. Tale autem signum divinitus institutum esse ad peccatorum remissionem, atque ad eandem aliquo modo concurrere. testatur S. Joan. 1. epist. c. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate*. Quamvis effectus isti apertius significantur et perfecte compleantur per formam a sacerdote prolatam.

109. *Dico II.* Partes materiales pœnitentiæ tres sunt, contritio, confessio, satisfactio. Ita Theologi communiter cum S. Thoma nuper cit. et q. 90. tota, et in 4. d. 16. q. 1. a. 1. Tres istæ partes materiales recitantur etiam et explicantur a Conciliis Florentino et Tridentino nuper citatis.

Prob. breviter de singulis. I. Sacramentum hoc institutum esse per modum judicii voluntarii, art. 2. ostendimus contra hæreticos ; ergo requirit confessionem, qua pœnitens ipse sit sui accusator, testis et reus : unde confessio est de essentia et intrinseca ratione hujus judicii. *De pondere*, inquit INNOCENTIUS I. (Lab. t. 2. p. 1217. E.) epist. 1. c. 7., *æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus, atque lacrymas*. S. AMBROSIIUS epist. 3. (al. 67. ad Simplicianum n. 11. opp. t. 2. p. 1059. C.) scribit, providum esse debere judicium sacerdotale, nec debere sacerdotem populi peccata comedere, i. e. remittere, sine prævia confessione sincera : *cibus enim*, inquit, *sacerdotis est in peccatorum remissione*.

II. Contritione ad peccatorum remissionem opus esse, supra satis demon-

stravimus, ubi de pœnitentiæ necessitate actum fuit. Et docet LEO X. in Bulla contra Lutherum art. 13. Item Concilia COLONIENSE, MOGUNTINUM et SENONENSE, et Catechismus PII V. in doctrina de hoc sacramento. Ac ratio ipsa declarat : nuda enim peccatorum suorum recitatio vel est stulta et turpis jactantia de malo, vel historica præteritorum criminum narratio : ut ergo sit legitima sui accusatio, quæ veniam obtineat, ex dolore, ac detestatione proficisci, hisque pœnitentiæ actibus informari et honestari debet, secundum illud 2. Esdræ 9. v. 1. *Convenerunt filii Israel in jejuniis, et in saccis, et humis super eos, et confitebantur peccata sua*.

III. Demum ad integritatem judicii pœnitentiæ reo inflicta pertinet in vindictam criminis ; igitur satisfactio aliquo modo est pars sacramenti, cum et ipsa effectum peculiarem ex opere operato præstet, ut alias explicabimus.

Partes hæc omnes paucis comprehendunt S. CYPRIANUS serm. de Lapsis sæpe laudato ; ac primum contritionem et confessionem : *Apud sacerdotes dolenter et simpliciter confitentur* ; dein satisfactionem : *Salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt*. Et S. CHRYSOSTOMUS serm. de Pœnitentia tomo 5. (p. 361. D. edit. latina Ducæi.) post homilias decem de Pœnitentia : *In corde ipsius contritio est, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est perfecta et fructifera pœnitentia*. Et S. AUGUSTINUS in illud Ps. 146. *Qui sanat contritos corde* : n. 6. *Sanat, inquit, contritos corde, sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes*.

110. *Dico III.* Actus quidam alii male ab hæreticis partes pœnitentiæ dicuntur.

Prob. per partes. I. Apostolus 2. Cor. 7. v. 10. terrores istos a pœnitentia distinguit dicens : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Ubi per tristitiam non intelligit dolorem et afflictionem animi, quæ actus sunt pœnitentiæ elicitæ ; sed molestiam, timorem ac pudorem, quæ excitabantur ex objurgatione illa acri et minis, quibus Apostolus in priore epistola in ipsos fuerat invectus. Hinc paulo ante, *Gaudeo*, inquit, *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*. Quasi diceret, non gaudeo de tristitia, gaudeo de fructu, qui est pœnitentia.

Deinde pœnitentia est actus salutaris, ut testatur Apostolus : at terrores tales ex minis legis incussi salutare esse non possunt, cum sint actus mere naturales, præcedunt enim fidem, ut Lutherani volunt.

Denique ne fides quidem est pars pœnitentiæ ; ergo multo minus terrores isti conscientiæ, qui ex Lutheranorum sententia fidem præeunt. Et quamvis a Concilio TRIDENT. Sess. 6. cap. 6. timor ex justitiæ divini fide obortus ad pœnitentiam et justificationem dicatur disponere, differt tamen a pœnitentia, sicut fides et spes, quæ ibidem dispositionibus accensentur.

II. Neque fides in partem pœnitentiæ admitti potest. Nam S. Scriptura fidem a pœnitentia de industria discernit Marci 1. v. 15. *Pœnitentiam agite, et credite Evangelio*. Act. 20. v. 21. *Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*.

Jonæ c. 3. v. 5. *Crediderunt Ninivite in Deum : et prædicaverunt jejuniis, et induti sunt saccis*. Igitur cum fides sit principium pœnitentiæ, et actus cujuslibet salutaris, distingui illam necesse est a pœnitentia.

Patres item omnes quotquot de poenitentia scripserunt, nunquam illam actum fidei esse dixerunt, sed contritione, confessione, et suimet afflictatione definierunt.

III. Errant etiam molles Lutherani, quando omnes actiones bonas, quæ justificationem consequuntur, inter partes poenitentiae referunt. Nam etsi omnia opera hominis justi ad satisfaciendum pro peccatis conducere de se queant: multa tamen, quæ non animo reparandi offensas Deo illatas, et expiandi reatus residuos præstantur, sed alio ex fine bono fiunt, actus poenitentiae nequeunt appellari.

IV. Poenitentiae partes non sunt mortificatio et vivificatio, hoc est, refrænnatio vitiosarum affectionum, et pium studium bene operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur, ut Calvinus et Beza volebant. *Prob.* Poenitentia præit justificationem tanquam via et dispositio ad hanc; ut S. Scriptura docet pluribus locis, præsertim Act. 2. v. 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Act. 3. v. 19. *Poenitemini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* At vero Calvinus ostendit, poenitentiam istam, quæ sit mortificatio et vivificatio, fructum esse fidei justificantis; non ergo talis est poenitentia, qualem in Scriptura sacra legimus. *Conf.* Poenitentia non est nisi peccatorum, nam *justi non indigent poenitentia*, ut Christus Luc. 15. v. 7. inquit: atqui vitiosarum affectionum mortificatio, et pium bene operandi studium, actiones sunt communes omnibus hominibus justis, eisque prorsus necessariae; ergo vivificatio ista et mortificatio non sunt partes poenitentiae.

111. *Obj. I.* Si poenitens per suos actus etiam producit gratiam sacramenti; ergo non solus sacerdos est minister sacramenti Poenitentiae.

R. N. Seq. Solus sacerdos nomine Christi tanquam judex causam poenitentis cognoscit, ac decedit. Nusquam vero reus aut accusator dicuntur administrare justitiam.

Inst. 1. Illud proprie et unice est sacramentum, quod confertur a ministro, ut constat inductione Baptismi et reliquorum sacramentorum: atqui sola absolutio tribuitur a ministro; ergo hæc erit sola sacramentum Poenitentiae.

R. cum S. Th. a. 1. et 2. D. M. Illud unice est sacramentum, quod confertur a ministro, in sacramentis quæ habent corporalem materiam *C.* in iis quæ habent actus humanos pro materia *N.* Talia sacramenta sunt Poenitentia et Matrimonium, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus: et sunt ex essentia sua judicium et contractus, ubi actus humani a suscipiente necessario suppedantur, et nomine materiae et elementi largius acceptorum intelliguntur, quibus vicissim formam ut sacramenti complementum adjicit minister. In cæteris vero sacramentis materiam et formam simul minister solus exhibet.

Inst. 2. Tota hujus sacramenti vis sita est in clavibus: atqui hæc non sunt penes poenitentem, sed penes solum sacerdotem; ergo ad effectum sacramenti non possunt concurrere actus poenitentis.

R. D. M. Sacramenti hujus vis tota absolute sita est in clavibus *N.* tota, i. e. præcipua vis sita est in clavibus *C.* *D. etiam Cons.* Actus poenitentis seorsim secundum se non concurrunt ad sacramenti effectum *C.* actus poeni-

tentis prout substant absoluteioni non concurrunt ad effectum sacramenti *N.* Sicut medicus dicitur conficere medicamenta, et sanare ægrotum, licet hic aliquid materiae conferat: ita quamvis poenitens actus, quos ipse producit, tanquam sacramenti materiam exhibeat, sacerdos tamen moraliter tantum sacramentum sua absoluteione conferre censetur.

Inst. 3. Dolor et confessio non pertinent ad substantiam judicii; ergo neque sunt partes sacramenti, quod per modum judicii est institutum.

R. D. Ant. Non pertinent ad substantiam judicii secundum se talis *C.* non pertinent ad substantiam judicii reconciliativi, quale Christus instituit *N.* In causis civilibus et criminalibus nihil refert, utrum reus crimen aut debitum fateatur an non: utrum debitum aut poenam libens an invitus solvat, modo, causa cognita, legitime fuerit damnatus: alius item est accusator, reus alius. E contra poenitentia ad redintegrandam cum Deo amicitiam ex natura sua tendit. Quam ob rem Act. 20. v. 21. vocatur *poenitentia in Deum*: et c. 26. v. 20. conjungitur cum conversione ad Deum: et Ezechielis 18. et 33. ejus finis dicitur justificatio et reconciliatio: ac sæpe comparatur actioni, qua liberi cum parentibus, servi cum dominis, et uxores cum maritis in gratiam redeunt: ubi erratorum confessionem, detestationem et deprecationem, cum satisfaciendi voluntate requiri naturæ instinctus nos docet. *Ad judices*, inquit pro Ligario Tullius, *sic agi solet; non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen: ad parentem autem, erravi, temere feci, poenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam posco; ut ignoscas, oro.* In hac ergo sacramentali actione confessionis perceptio, prout essentialiter in accusatione comprehensa, est pars materiae; et satisfactionis injunctio est pars formæ, quatenus satisfactio ipsa est materia. Ast interrogatio poenitentis habet se sicut examen prævium in judiciis.

Inst. 4. Et FLORENTINUM ET TRIDENTINUM Concilia actus poenitentis non vocant materiam, sed *quasi materiam*; ergo non videntur esse revera sacramenti poenitentiae materia.

Respondent 1º. aliqui, *N. Cons.* et dicunt, ideo a Conciliis actus poenitentis *quasi materiam* appellari, quia tota sacramentalis materia non est propria, sed per analogiam sic nuncupatur. Verum hæc ratio omnibus communis est, quorum tamen rem formæ subjectam Concilia absolute materiam vocant. Neque ullius sacramenti forma a Conciliis *quasi forma* dicitur; cum tamen omnium sacramentorum formæ nomen hoc ad analogiam formarum naturalium sortiantur. Igitur

R. 2º. D. Ant. Actus poenitentis appellantur *quasi materia*, quod illi non eo modo, quo in sacramentis est materia, sint proprie materia poenitentiae sacramenti *N.* quod non constent ex aliquo elemento seu corpore sensibili, sicut est in sacramentis aliis *C.* In sacramentis cæteris, sicut in compositis artificialibus, materia proxima consistit in usu alicujus corporis sensibilis; ideo ei nomen simpliciter tribuitur. Ast in poenitentia nec materia proxima, nec remota sensibile quoddam corpus est. Quamvis autem ob rationem istam poenitentis actus quasi materia appellentur: nihilominus in hoc sacramento munus ac ratio materiae æque servatur, ac in sex aliis, in quibus subjecti significatio imperfecta ac minus determinata per formam supervenientem plane determinatur. Quapropter etiam Concil. TRIDENT.

cap. 3. Sess. 14. ita concludit: *Atque hæc de partibus hujus sacramenti S. Synodus tradens, etc.*

112. *Obj. II.* Et substantia et effectus sacramenti pœnitentiæ sine satisfactione consistunt; ergo hæc non est pars illius.

R. *D. Ant.* Sine satisfactione consistunt sacramenti substantia integra et effectus omnis *N.* consistunt sacramenti substantia et effectus præcipui *C.* *Dist. etiam Cons.* Ergo satisfactio non est sacramenti pars integralis præcipua *C.* nullo modo est pars integralis materiæ sacramenti *N.* Sicut corpus, materia hominis, componitur ex capite, corde, manibus, pedibus, et cæteris membris tanquam partibus integrantibus; quarum tamen aliquæ sint præcipuæ et quasi essentielles animanti, ut cor, caput, pectus, etc. quia sine his primariis partibus essentia hominis nullo modo consisteret: ita se habent contritio et confessio, sine quibus nec materia sacramenti componi potest, nec absolutio impendi. Aliæ partes integrantes sunt secundariæ, sine quibus rei essentia esse quidem potest, sed mutila et imperfecta: cujusmodi sunt manus, pedes, etc. in corpore humano; et satisfactio in pœnitentiæ sacramento.

Inst. 1. Luc. 3. v. 8. satisfactio dicitur *fructus pœnitentiæ*; ergo nequit esse ejus pars.

R. *D. Ant.* Dicitur fructus pœnitentiæ virtutis *C.* sacramenti *N.* Virtus pœnitentiæ cum sit habitus simplex, non componitur ex partibus: actus tamen tres habet, quorum prior internus est contritio; duo externi sunt confessio et satisfactio. Qui quidem actus externi a S. Scriptura fructus pœnitentiæ vocantur.

Inst. 2. Satisfactio prout est in voto et proposito pœnitentis, sub sensus non cadit: prout autem re ipsa exercetur, tum demum existit, cum actio sacramentalis, confessio et absolutio dudum præterit; ergo satisfactio nequit pars esse sacramenti.

R. *D. 1^{am} part. Ant.* Satisfactio sub sensus non cadit, prout est in voto pœnitentis *C.* prout a sacerdote injungitur, et a pœnitente admittitur *N.* *Dist. etiam partem alteram:* Satisfactio re ipsa exercetur, cum præterit sacramentalis actio quoad essentiam *C.* dum præterit actio sacramentalis quoad integritatem *N.*

Inst. 3. Partes materiales, etiam integrales, supponuntur formæ, ut ex sacramentis aliis constat, quorum partes materiales vel non distinguuntur, vel si distinguuntur, unicuique parti materiæ respondet pars formæ. Atqui satisfactio reapse præstita formam sequitur; ergo non est pars materialis pœnitentiæ.

R. *D. M.* Partes materiales primariæ, sine quibus compositum consistere non potest, supponuntur formæ *C.* partes integrantes secundariæ *N.* Discrimen patet in naturalibus compositis heterogeneis: nam in matris utero cor et partes integrantes præcipuæ primum formantur; postea vero membra reliqua, tanquam integrantes partes secundariæ ac non essentielles accrescunt. Neque in sacramentis omnibus quoad partium singularum ordinem et conjunctionem similitudo exacta hic exigi debet; sunt enim illa res quædam morales vel quasi artificiales, quarum unaquæque fere diversum modum habet compositionis. Quanquam in argumento præsentis sententia

etiam, quam fert sacerdos judex a Christo delegatus, dupliciter accipiatur, et quidem essentialiter, cum a crimine et pœnis æternis absolvit; integraliter autem, quando satisfactionem temporaneam jubet, tanquam partem sacramenti integrantem. Quæ profecto satisfactio opere ipso postmodum exhibita significationem sacramentalem, et efficaciam quamdam ex opere operato habet, tum quod illam dolor de peccatis voto et proposito continebat; tum etiam quod sacramentali formæ moraliter connecteretur.

113. *Obj. III.* S. AUGUSTINUS sacramentum pœnitentiæ appellat manuum impositionem: et Concilium CARTHAGINENSE IV. can. 78. (Labb. t. 2. p. 1206. B.) ait: *Pœnitentes, qui in infirmitate Viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint.* Ergo pars sacramenti pœnitentiæ est iste ritus *incurrrens in oculos ut moveat corda*, quemadmodum Melancthon scribit art. 13. Apolog. Conf. August.

R. *N. Cons.* Etsi olim in Ecclesia fuerit usitata, et hodieum sit, nec nisi impio a Wicleffo derideatur manuum impositio in sacramenti hujus administratione: nunquam tamen credebatur ad peccatorum absolutionem esse necessaria. Quas enim Scriptura sacra manuum impositiones meminit, vel curationes ægrotorum prodigiosas concernunt, vel parvulorum benedictiones Marc. 10. v. 16. vel administrationem sacramentorum Confirmationis et Ordinis.

Concilium CARTHAGINENSE publice pœnitentes, qui in mortis periculo privatim solvebantur, jubet, si reconvaluerint, in tertium pœnitentiæ gradum reverti, ubi Episcopus et Clerus ipsis tempore jejuniorum prostratis manus imponebant, non quidem absolvendo a peccatis, sed pro ipsis orando, aut eos Ecclesiæ reconciliando, ut absoluto pœnitentiæ tempore fiebat. Ex hactenus disputatis.

114. *Colliges 1^o.* Sacramentum pœnitentiæ non per ipsum genus signi, sed per rem sensibilem formalitati signi subjectam recte definiiri: *Compositum morale constans ex actibus pœnitentis, et verbis sacerdotis, institutum ad significandam et conferendam gratiam remissivam peccati post baptismum commissi.* Si vero res sensibilis in suas partes distincta, ad modum rerum artificialium definiatur, erit *Confessio legitime in foro pœnitentiæ facta, et absolutione judicis sacri firmata.* Ubi perperam absolutio pro genere poneretur: hoc enim cum rationem habeat materiæ, melius per partem materiale explicatur.

2^o. Durandus d. 14. q. 3. contendit, sacramentum hoc potius dici debere *absolutionis*, quam *confessionis*, eo quod illa sit forma, præcipua pars compositi. Sed contrarium ex hac ratione videtur sequi: nam quia materia magis nobis nota est, ab hac sacramenta cætera passim sua nomina acceperunt; ut Baptismus, Chrisma, Unctio extrema, etc. Quin etiam a Patribus ritus iste ut plurimum audit sacramentum *reconciliationis, homologesis, exomologesis*, quod latine *confessio* sonat: quare etiam hodie vulgo sacramentum pœnitentiæ seu confessionis nuncupatur.